

aut ei quovis ausu temerario contraire, five in iudicio, five extra iudicium quodcumque. Siquis autem hoc attentare præsumserit nostram, & imperii sacri indignationem gravissimam, & præter poenas in prædictis privilegiis contentas, & expressas poenam 20. marcharum auri puri se noverit irremissibiliter incurrisse pro dimidio Imperiali fisco, seu ærario nostro, reliqua vero parte Episcopo Aquis Principi, & Consiliario nostro, ejusque successoribus, & Ecclesiæ Aquensi applicandam toties quoties contrafactum fuerit harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei apprehensione munitarum. Datum Romæ apud Basilicam divi Petri in die sacrosanctæ Paschæ anno Domini millesimo quingentesimo trigésimo sexto imperii nostri decimosexto regnorum nostrorum vigesimoprimum.

Testamentum D. Dominici Schelini Ep. Aq.

398

MDXXXII.

In nomine Domini amen. Noverint universi, & singuli hoc præsens publicum instrumentum videnti quod personaliter constitutus Dominus Dominicus Schelinus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Aquensis, & Comes attendens, & considerans, quod venerabilis D. Stephanus, D. Antonius, Dominicus, & Johannes Baptista, & Domina Maria, ac quondam Rufinus omnes filii legitimi, & naturales DD. Christophori Schelini ipsius Rev. D. Episcopi fratris sibi retro lapsis temporibus quamplurima varia, & diversa servitia, & obsequia, & grata beneficia fecerunt facereque, & impendere non cessant, motus ex præmissis, & propter intimum amorem, & singularem affectionem, quam erga dictos nepotes suos habet, volens eosdem remunerare, eisdemque rite, ac legitime providere, unde possint, ac valeant honorifice vivere dedit donavit titulo donationis inter vivos DD. Stephano, Antonio, Dominico, Johanni Baptistæ, & Mariæ fratribus, & sorori, ac Julio adhuc pupillo filio dicti quondam communis fratris nepotibus suis ex D. D. Christophoro infra scripta videlicet bacillam unam magnam, vas unum magnum alias vulgariter sinapam nuncupatum, salinos quatuor, facias, seu pateras sex, magnas forcinas quinque omnia argenti, item omnes annulos tam auri, quam argenti, & argenti aurati a digitis, quos habet, videlicet cum lapidibus pretiosis in eis positus, & ligatis ab usu suo quotidiano excepto uno annulo pontificali, quem donavit Capellæ divi Widonis, & aliis tribus annulis donatis Domine Cormoxinæ de Item eis donavit Missale unum cartæ Caprinæ miniatum, seu fulcitum, & munitum argento, quæ omnia donavit videlicet D. D. Stephano, Antonio Dominico, & Johannis Baptistæ, & Julio æquis portionibus. Dictæ vero Domine Mariæ donavit vestem unam panni rubri alias vulgariter scarlatum nuncupatum videlicet vestem novam: item vestem unam Damaschi novam etiam, & vestem unam

zambellotti tanelli, quæ omnes vestes etiam dixit prædictus Episcopus se habere factas a dorso suo de & super quibus bacilla, sinapa, salinis, facias, forcinis, annulis, lapidibus, missali, & tribus vestibus ecc. (Hic per transversum deficit dimidium pagina, quo fit, ut sensus sit abruptus; quæ tamen leguntur, hic adscribam). In Civitate Aquis in sala magna dicti palatii D. Presbitero Stephano Cut & D. Presbitero civibus Aquensibus testibus millesimo quingentesimo trigésimo secundo septimo mensis junii nob. Widonis civis Aquensis Clericus, & publicus instrumentum videlicet fieri jussum, & rogatum subscripsi signo mei soliti Tabellionatus.

Breve Clementis PP. VII. confirmantis foundationem monasterii Monialium ordinis S. Augustini factam a Catharina Comitissa Pollentiæ in civitate Niciæ.

MDXXXIII.

399

Clemens Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri Episcopo Aquensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis circumspecta benignitas ad ea libenter intendit, per quæ divinus cultus, augmentum, & religio propagationem suscipiant, illos quoque gratioso favore persequitur, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Catharinæ Comitissæ Pollentiæ Taurinensis Diocesis petitio continebat, quod licet alias ipsa ex quondam Bartholomei Valterii Laici oppidi Niceæ Palearum Aquensis Diocesis provincie Mediolanensis genitoris sui voluntate, & ordinatione in dicto oppido unum hospitale sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis, & nunc ex fundamentis construi, & edificari fecerit, ac illi nonnullos redditus, & bona concesserit, & assignaverit: cum tamen in ipso hospitali nulla hospitalitas servetur, & propter illius fructuum exiguitatem nullus ibi residere, aut illius curam gerere curet, quo fit, ut ædificia passim ruant, ac possessiones, & bona occupentur, & deteriores: ipsa Comitissa pie ducta ad divini cultus augmentum in ipsius hospitalis, seu alio loco dicti oppidi ad hoc conveniente, & apto unum monasterium Monialium ordinis S. Augustini, quæ inibi sub regulari habitu, & odore bonæ famæ divino beneplacito insistant, construi, & edificari faceret, si sibi ad hoc dictæ sedis licentia suffragetur, & dilectæ in Christo filiæ Hieronymæ, & Isabella Papienses Moniales, & Monasterii oppidi Garlassi ordinis Papiensis Diocesis, quæ dicto eorum monasterio propter diuturnos bellorum insultus, & alias adversas temporum calamitates, quibus pariter illæ diu concussæ fuerunt, & direptæ extra regularia loca mendicantes vivunt, ad illud se transferre summo pere desiderant. Quare pro parte tam Catharinæ Comitissæ, quam Hieronymæ, & Isabellæ prædictarum asserentium fructus, redditus, & proventus dicti hospitalis decem ducatorum auri de camera